Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2337
Quelle:
Copyright:

ſucceſſu temporis non paucae *Declarationes* illi ſubpoſitae et falſae circumferri coeperunt, ut adeo mandato *Gregorii* XV. a. 1621. ejusmodi *Declarationum* Syllogae Indici Librorum prohibitorum adjiciendae fuerint, cautumque ſit ab *Urbano* VIII. a. 1631. ne ulli earum fides habeatur, niſi manu et ſigillo Cardinalis Praefecti et Secretarii Congregationis munitae. Antiquior hisConſtitutionibus eſt praeſens Collectio, et ad calcem ita ſubſcripta: *Has Declarationes deſcripſit et finiuit menſe Junio Anno 1606. Laureti Joannes Bruneau Leodienſis, Lector ibidem menſae, ex Exemplari Bibliothecae Lauretanae; Quae Declarationes obſeruantur per omnia ab Ordinarijs et Vicarijs.* De Seminario Clericorum epiſcopali ſermonem hic eſſe putem. *Declarationes* ordinem *Seſſionum* ſequuntur, et Prima eſt in verba *Seſſionis* IV. *Et ſi regulares fuerint ultra examinationem* &c. hujus tenoris: *Congregatio cenſuit idem in concionibus obſervandum, etiam ſi concionatores ab ordinario fuerint approbati.* De ipſa Congregatione adi, ſi placet *Hunoldi Plettenbergii Notitiam Congregat. et Tribunalium Curiae Rom. Hildeſii* 1693. 8.

DCCCCXLIII.

R. 3346 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 174. 4. min. partim lineis longis, partim per duas columnas, neque una manu, commode tamen exaratus, et minio diſtinctus e pluribus Opellis coagmentatus eſt, ut ſequitur: I. *Hec ſunt ſtatuta domini Gwidonis Cardinalis presbiteri.* Ad concilium *Salisburgenſe* XXII. celebratum *Viennae* a. 1267. menſe *Majo* pertinent, cui praefuit hic *Clementis* IV. Legatus S. *Laurentii in Lucina* titulo Cardinalis *Vladiſlao* Archiep. nondum Sacris initiato. Ipſa *Statuta* extant in *Flor. Dalhami Conciliis Salisburg.* editis *Aug. Vindel.* 1788. p. 105. f. et alibi. Codex noſter quandoque lectione differt.

II. *fol.* 5. *Hec ſunt Statuta Friderici Epiſcopi Saltzpurgen.* In Concilio videlicet XXIII. a. 1274. *Kal. Novembr.* acto. Leguntur in *Concill.* mox *cit.* p. 117. Canonibus, ut in ſuperiore, paullo aliter diviſis, et verbis quandoque diverſis.

III. *fol.* 9. *Hec ſunt inſtituta Ven. domini Friderici Archiepiſcopi Eccleſie Salzpurgen. A. S. L. Inſtituta in prouinciali concilio Salzpurgen. Anno domini M°. CC°. LXXXIX°.* Omitte ultimum X. ad annum enim 1281. pertinent, et habentur l. *cit.* p. 126.

IV. *fol.* 12. *Hec ſunt conſtitutiones domini Johannis epiſcopi Tuſculani a. ſ. l.* Extant apud *Harzhemium* T. III. *Concill. Germ.* p. 725. conditae in Concilio *Wurceburgenſi* a. 1287. *Menſe Marcii*, ut habet ad calcem Codex, *Poſt Letare ieruſalem.* Nec hic varia deeſt lectio. Ita *Can.* X. pro *Presbyteris duas communicaturas recipere*, Codex legit *Plebanos duas*